



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De accusationibus. Consilium DLIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

22 de ludo nu. 11. * Quæ omnia minorem dubitationem habebunt in proposito casu, si sequamur Cæli Calicagum sententiam, quæ putat, loco supra cit. solidum Iustiniani valere viginti quinque nostrates aureos; ita ut in incipiti disputatione juris Reo magis favendum sit: præsertim quia Odo-fredus, in d. ult. c. 1. de re leg. et sumpt. funer. dicat in plerisque exemplaribus in Iustiniani constitutione, in d. ult. legi non ultra unum solidum, sed ultra duos solidos.

De accusationibus.

SVM MARIVM.

In causa criminali an Reo copia libelli accusatorii danda.

1. Libelli copia Reo etiam in criminali causa danda est.
2. Libellus an Reo expensis Actoris dari debeat in criminali iudicio.
3. Communia sunt utrique parti quæ in iudicio exhibentur.
4. Dilatio deliberatoria an danda in criminali causa.

CONSILIUM DLIX.

MIRVM est, cur Domino Iacobo I. Sacerdoti, contra omnia iura tam civilia quam Canonica, denegetur exemplum seu copia libelli, ac dilatio deliberatoria. * Etenim iure civili aperte constitutum est, *Authent. Offeratur c. de ius contest.* Reo in ius vocato ante omnia dandum esse libellum; & quidem tantò magis in criminali causa, ut quantò ex hac Reo magis periculum imminet, magis caveatur, & succurratur, l. 1. §. sed et si De Carbon. educ. Quæ juris civilis constitutio in canonicas functiones transiata est, c. Inducta §. offeratur 111. q. 3. & ex sententia Innocentii, in c. 1. nu. 3. de libelli oblat. extensa non tantum ad accusationem, sed etiam ad inquisitionem & denuntiationem judicalem. Nec est quisquam, qui de eo dubitet, quin Reo in criminali iudicio libellus seu capitula obectorum delictorum plenè edi debeant, c. Qualiter & quando 2. vers. debet de accusat. Panorm. in c. 1. de libelli oblat. cum longè plura requirantur in libello, qui super delicto proponitur ad correctionem, l. Libellorum 1. c. accus. angel. in l. si vacante nu. 185. Cod. De bonis vacant. lib. 10. quàm in civilis causæ libello.

Sed de hoc plerique dubitant, an Reo citato ad criminale iudicium, confecti & Iudici porrecti libelli exemplum seu copia tradi debeat; eique dari & concedi terminus seu dilatio ad deliberandum, ut libello respondeat? De exemplo seu copia nulla prorsus est dubitandi iusta occasio: nam qui edi libellum etiam in criminalibus causis volunt, ut communiter omnes, id quoque velle existimati sunt, ut Reo non tantum prælegi, sed etiam ex eo descriptum exemplum tradi debeat: id enim est edere, hoc est copiam describendi facere, l. 1. de edendo; & quidem, ut communis receptum est, expensis ipsius accusatoris, seu per inquisitionem procedentis, c. nus & Bald. in d. Authent. Offeratur, Martan. Securus in c. 1. n. 116 & 117. de libelli oblat. fit enim editio ad effectum deliberationis, l. Editio ad C. De eden. Unde est, quòd quævis Reus si ultro responderit, & respondendo confessus sit obiecta crimina, non possit sententiam condemnationis nullitatis arguere, quòd non traditus sibi

capitulis accusationis seu inquisitionis sit condemnatus, in c. 1. in fine De accus. lib. 6. Capolla conf. crim. 66. Tenor idem: nullitas tamen processus contrahatur, si Reo citato petenti non tradatur libellus seu copia articulorum, Gemu. in d. c. 1. nu. 3. De accus. lib. 6. vel saltem iusta est causa appellandi à denegatione huiusmodi copiar. * Ex quo enim libellus Iudici porrectus est, statim communis utrique parti efficitur, ut cætera, quæ in iudicio vel exhibentur, vel producuntur, c. Quamvis contra falsam de probat. & forensia effecta sunt, Bald. in c. 6. verpetus in fine & ibi Pauor. nu. 3. de fide instrum. Est autem apertò jure constitutum, quòd à denegatione editionis communium instrumentorum fit iusta causa appellandi, c. c. G. perpe. nus. Extra dubitationem itaque est, quòd Reo citato etiam in inquisitionis causa edi, hoc est, per descriptum exemplum tradi debeat libellus seu capitula obectorum excessuum. Ita ut plerique existimant, huiusmodi libellum seu libelli editionem à Iudice non esse necessariò postulandam; sed unà cum citatione, quæ ad instantiam fit, Reo transmittendam esse, *Auth. in d. c. 1. de libelli oblat.*

Cæterum an dilatio quoque deliberatoria Reo post traditionem libelli sit permittenda, nihil dubitant, qui unà cum citatione libellum in criminalibus Reo transmittendum esse existimant: nam tunc terminus citationi præfixus pro dilatione deliberatoria est, c. Præterea De dilat. Sed nec iusta est dubitandi causa, cum post citationem in iudicio libellus offeratur: licet Paulus Castrensis, in d. Auth. Offeratur nu. 11. videatur velle, quòd tempus ad deliberandum Reo accusato post traditam copiam libelli concedi non debeat, quasi scilicet de proprio facto certus sit, nec ob id deliberatione indigeat: id tamen ex juris communis definitione non est, sed ex observatione & consuetudine contra ius commune quibusdam locis obtinente. Quod uno verbo etiam indicat Salicetus, in d. Auth. Offeratur nu. 7. qui reprobat illà, quam vocat mundi præteritam (& quidem meritò, cum sit species concussionis & oppressivis) dicit in criminalibus causis post traditum Reo libellum, ei quoque concedendam esse dilationem ad deliberandum: idque ex auctoritate Glossæ, in d. Authent. Offeratur. in verb. ad iudicium, quæ in criminali causâ deliberationis concedendæ necessitatem ampliorem, quàm in civili causâ facit. Neque fanè quod de suo facto certus sit Reus, qui de crimine convenitur, sufficiens est causa ad denegandam deliberationem: nam, ut inquit Salicetus, in d. Auth. Offeratur nu. 7. deliberationis causa finalis non est sola certioratio, aut memoria: refutatio, sed præterea alia quædam, veluti ut deliberetur, an Iudex recusandus sit; an libellus benè conceptus sit; an alia declinatoria aut dilatoria exceptio proponi possit, & similia, de quibus Reus se informare commodè non potest, nisi obtentâ copia libelli, *Hopsen. an suri ma de dilat. §. 1. vers. deliberatoria.* Ita ut remotâ causâ certitudinis facti proprii, quam Castrensis prætexit, de negatione deliberatiæ dilationis remaneant alie, eaque numero & pendere plures, quæ deliberationem omnino possulant. Et hanc esse communem opinionem tradit Alexander Imolenis, in l. 1. nu. 6. de edendo; & pro singulari annotavit Ludovicus

vicius Romanus, *singul.* 117. reprobata Glossa quādam, in *can. 1. 111. q. 2.* quae deliberationum usum in criminalibus non esse asserit; ut eam etiam improbat Panormitanus, in *c. 2. n. 9. De dilat. excepto* eo casu, quo cum citatione ad Reum missus est libellus, vel citationi capitula delictorum inserta sunt. Quo casu non recte dicitur inducias non dari: nam ipsa citatio, quae terminum comparandi praescribit, pro dilationis concessione est: sed potius datas non duplicari; quod habet rationem, *4. c. 2. De dilat.*

Cum itaque Reus multa habeat, quae viso libello inquisitionali seu accusatorio poterit obijcere; & praesertim ex notoria sua qualitate, quia sit notorium suppositum almae Universitatis Studii generalis Lovanienensis ab ordinaria jurisdictione per privilegia dictae Universitatis omnimodo exemptus, & cui ex juris communis dispositione permittitur Episcopi sui forum declinare, *Aust. Italiae c. Ne plus pro parte.* merito ei utrumque concedi debet; & libelli copia, & deliberationis potestas; inaxime quia in citatorio ad Reum transmissio specialiter praetextatur excessus contumaciae, quod contra prohibitionem superioris confessiones Beginarum audiverit; sed tamen subjungatur indeterminata generalis clausula de aliis quoque excessibus: ita ut dicto citatorio certificari nequeat, de quo conveniatur; & an de quo seu quibus conveniatur, ad jurisdictionem Venerabilis Domini Officialis ita pertineant, ut privilegio fori adversus illum se tueri non possit. Novum sane id est, quod Dominus Iacobus in hoc articulo patitur, & prorsus contra consuetudinem huius confistorii; in quo insolitum, solum infrequens est, sic Reum invitum, velut ligato pede cogere ad precitam indeliberatamque responsionem; relicta facultate & responsionis & defensionis post responsionem: cum & ex natura, & ex juris ordine deliberatio matura antecedere debeat. Dico itaque iustitiae & juris rationem postulare, ut Reo petenti copia exhibitorum articularum detur, cum competenti dilatione deliberandi, quid Reo faciendum erit.

De accusationibus.

SVM MARIVM.

Praescriptio in delictis.

1. Loci & temporis expressio etiam in inquisitione Canonica requiritur.
2. Praescriptio locum habet etiam in delictis.
3. Stuprum, adulterium, & similia delicta quinquennio tolluntur.
4. Incestus an & quando tempore tollatur.
5. Pena remissionem meretur diuturnior abstinentia & continuatione delicti.
6. Crimina an iure Canonico tempore tollantur.
7. Fornicatio simplex punibilis non est.

CONSILIVM DLX.

PRAESCRIPTIO temporis, quam Franciscus N. Reus in hac Fiscalis causa obijcit, adversus accusationem sive inquisitionem Procuratoris Fiscalis Curiae Officialis Antwerpensis ad absolutionem illi prodesse debet; sive ad obiectum incestus, sive ad obiectam fornicationem & concubinatum, respectus habeatur: * ob. d. quod

De accusationibus.

593

ex die seu tempore concubitus circiter undecim anni; ex die vero obiecti incestus septem anni elapsi sunt, ante institutam hanc accusationem sive inquisitionem; ut constat ex Rei confessione facta ad articulos dicti Fisci; quam confessionem Fiscus formaliter acceptando approbasse quoque censetur. Cum alioqui ex libello Actoris non constet, neque allegetur tempus commissi dicti incestus & concubitus, quod tamen secundum iura perinde Canonica, vel civilia plane erat necessarium ad substantiam libelli, non tantum accusatorii, *l. Libellum de accusat. c. Per scripta §. libellorum 2. q. 8.* sed etiam inquisitionalis. Haec enim juris solemnitas exprimendi loci & temporis perinde in inquisitione Canonica, ut legali accusatione, obtinet; quia inquisitio loco accusationis succedit, *c. Quasi & quando 2. & ibi d. d. De accusat. Bald. in l. Ea quidem nu. 58. c. De accus. & consil. 490. De sola subscriptione vol. 3.* ut probata Glossa Accursii, in *l. Querela c. Ad L. Corn. de fals. tradit Egidius Boslius, in tract. crimin. tit. Quando procedendum sit per actionem in delict. n. 21.* Ita ut hoc respectu non improbabilius sustineri posset, Fisci hunc libellum, & super eo subsequutum processum, nullitatis vitio laborare.

Sed omisa ea consideratione, Reus confidens 2. juris beneficio, libello respondit & clypeo praescriptionis se defendit; quam confidentiam merito induere potuit. Crimina enim, & criminum tituli lapsu temporis ad accusandum & inquirendum a iure praescripti, omnimodo & penitus extinguuntur; *l. Miles §. adulterij Ad leg. Iul. de adult. per. Anchar. cons. 4. Statuto caveatur n. 4.* Vique adeo ut post tempus Reus accusari non possit, nec praescriptio ei a iure data auferri debeat, *l. Adulter c. Ad leg. Iul. de adult.* Verum quidem est, tempus regulariter non esse modum tollendae obligationis, *l. Obligationum fere §. placet de act. & obligat.* sed tamen praebet potestatem exceptionis, quae obiecta obligationis effectum impedit, elidit, & enervat, *d. §. placet, l. 2. De except.*

Cum igitur ex lege Julia crimi na adulterii, incesti, stupri, & similia, quinquennio a die commissi delicti extinguantur, seu elidantur, *l. 1. §. accusationem ad §. c. Turpillian. d. l. Miles §. adulterij l. Mariti §. praeterea Ad leg. Iul. de adult.* dubitandum non videtur, quin exceptio seu praescriptio Rei optimo iure sit fundata, ad repellendum dictum Actorem etiam a limine iudicii; praesertim quia per Actorem nihil proponatur, quod vel ad impediendum initium dictae praescriptionis, vel ad sistendum illius cursum, vel ad retinendum illius effectum, facere possit. Est enim huius quinquennij decursus non utilis, sed continuus, & continuo decurrens ex die, quo adulterium, incestus, vel stuprum commissum est, *l. Quinquennium d. tit. Ad L. Iul. de adult.* * Et quamvis crimen incestus, adulterio conjunctum quadruplex crimen sit, *l. Si quis 4. viduam De questio. & temporaria hac praescriptione non excludatur seu perimatur, l. Vm passam §. praescriptio ad leg. Iul. de adult.* per se tamen cum constet sine commixtione alterius criminis, ut & ipsum adulterium, temporariae huic praescriptioni utique subiicitur: ut sit discrimen inter simplex & compositum seu duplicatum crimen. Ut sicut adulteri accusatio